

1757.1  
33.9  
5.  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

AD

TIT. X. LIBRI II.  
F E V D O R V M

QVAM

ANNVENTE ICTORVM ORDINE ILLVSTRI

IN ALMA VNIVERSITATE ERFORDIENSI  
VNA CVM SELECTIS EX OMNI IVRE THESIBVS

DFO ASPIRANTE, ET PRAESIDE

AD CAPESSENDOS SVMMOS IN VIROQVE  
IVRE HONORES

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT.

IACOBVS ENGELBERTVS  
BIRCKENSTOCK

RHINGAVO - ERBACENSIS

IN SIGN. ECCLES. COLLEGIATAE B. M. V. IN REES  
CANONICVS

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI HORIS CONSVETIS

DIE XXV. APRILIS MDCCLVII.

ERFORDIAE,  
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

DISSEMINATION OF INFORMATION  
AD  
TITLE LIBRARY  
E-B-D-O-R-A-M  
ANNUALTE ICDRUM ORDINE ILLUSTRI  
IN AIAA AUTOMOTIVE HIGHLIGHTS  
LIA CONFERENCES IN CHINA THIRTY  
THE ADVERTISING TO LEARN  
AD QUADRATICALLY SWAY IN ATROGAE  
THE ADVERTISING  
IACOBAS INGENIERATAS  
BILGERSTOCK  
INFORMATION CONFERENCES  
CANONICAS  
INFORMATION CONFERENCES  
DE LA MATERIA MEDICINA  
PROORDIAL  
THE HIGHLIGHTS ADDITION



## PRAEFAMEN.



Fieri potest, ut quis argumentum Dissertationis hujus à rationibus vitae nostræ longe alienum esse putet. Vitam enim cum Ecclesiæ cultuique divino dicaverim, erunt fortassis, qui mihi vitio vertent, quod operam prophanæ scientiæ vel minimam dederim, aut certè quòd ab Academia discessurus, ex eo potissimum Jure, quod Militantibus est scriptum, publicè proponere quædam ausus sim. Fieri enim solere plerumque, ut eidem studiorum generi, ex quo in Academia versantes oblectamentum cepimus, temporis partem aliquam tribuere pergamus, eamque ob rem, quæ nobis agenda incumbunt cetera, minus diligenter agamus. Sed hos quidem libertati nostræ terminos nimium angustos ponere arbitror.

bitror. Velle siquidem mihi videntur à Canonico aliud non agi, nisi in choro ut adsit frequens, Numen ibi verbis præscriptis adoret, precibus addat hymnos, de cetero valetudinem curet, aliarum rerum incuriosus. Mihi persuasum profecto est, unumquemque natum esse Republicæ, eamque ob causam oportere, ut utilitatem illi aliquam ex se præstet, opera Cives juvet, Consiliis, exemplo, litterarum denique studiis, quantum potest. Secus qui fecerit, eum ego nec numini, quæ deberet præstare omnia nec sibi ipsi adesse existimo. Literarum profecto studia, licet ingens eorum sit diversitas, maxima tamen singula nobilitantur utilitate. Nec de eo ambigitur: Difficilis est scientia aditu: Nam & diuturnitatem temporis, & haud parvi laboris pervicaciam sibi postulat. Quæ cum ita sint, quid de utilitate hujus conaminis sperare mihi liceat, Tuo, Lector Benevole, arbitrio permitto. Juvenem me agnoso, & exigui virium moduli probè conscius mihi sum. Utilitatem itaque satis magnam percepisse existimabo, si monitus abs Te, aut meliora edoctus fuerō.

*Titu-*

### *Titulus X. Lib. II. Feud.*

*Qui a Principe de ducatu aliquo investitus est, Dux silito more vocatur. Qui vero de Marchia, Marchio dicitur. Dicitur autem marchia, quia marcha, & ut plurimum juxta mare sit posita. Qui vero de aliquo comitatu investitus est, Comes appellatur. Qui vero a Principe vel ab aliqua potestate de plebe aliqua vel plebis parte per feudum est investitus, is capitaneus appellatur: qui proprie Valvassores majores olim appellabantur. Qui vero a Capitanis antiquitus beneficium tenent, Valvassores sunt. Qui autem a Valvassoribus feudum, quod a Capitanis habebatur, similiter acceperint, Valvassini, id est, minores valvassores appellantur: qui antiquo quidem usit consuetudinem feedi nullam habebant. Valvassore autem sine filio mortuo, feendum, quod valvassori minori dederat, ad Capitanum revertebatur: Sed bodie eodem jure utuntur in Curia Mediolanensi, quo & Valvassores. Ceteri vero, qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitanis seu Valvassoribus acquisierint, plebeji nibilominus sunt. Nam illi, qui soldatam habuerunt, vel acceperunt, vel habent: per eam nullum pedagium, sed nec feudi usum acquirunt. Soldata autem est praefatio quedam annua gratuita, qua a neutra parte transit in heredem; morte enim dantis, vel accipientis interveniente finitur. Soldata vero dicitur, quia plerumque in solidorum donatione consistit: quandoque autem in vino & annonae consistit.*

#### **S. I.**

**E**sse quædam ab Auctore minus recte, quædam obscurius dicta, cuilibet harum rerum vel mediocriter perito statim adparet. Et origo quidem vocis *Marchiae*, quemadmodum & *Soldata*, longe aliter ac pro animi sui sententia sese habet; Cum autem ea de

re dubium amplius nullum superfit, præterea vero, cetera ut intelligas, vocum, quas modo diximus, etymologia parum aut omnino nihil faciat, visum est nobis, eam suo loco relinquere.

## §. II.

Obscura sunt, quæ de antiquo *Valvassorum* jure Auctor assert, itemque de *Pedagio*. Quæ ut lucem, quam quidem adferre illis possumus, à nobis accipient, Dissertationem nostram bifariam dividere animus est.

## P A R S I.

## §. III.

Longobardorum populus eo tempore, quo Panonia Hunnis relata in Italiam irruptit, omnis erat martius. Omnes Longobardi enim, quod bello assuefacti & in armis exercitati essent, ingruente vi hostium, arma capere, & in bellum proficisci debebant; pristini vero regionis habitatores, Itali nempe, neque provincia decedere, neque occidioni dari jubebantur, sed suo quisque loco remanens, agrosque colens aut opificia exercens, domino rerum suarum perfruebatur, certum tributa persolvebat. Cum autem divisus esset omnis Longobardorum exercitus in *Scaras* complures, aut, si mavis, in cohortes aut legiones, quarum unaquæque Duci suo parebat, quilibet Ducum ex pacatis provinciis uni præterat, ea quidem lege, ut Regi jussus cum armatorum numero adesset, & quo paratos milites, ac ad expeditionem promptos semper haberet, provinciæ, quam regendam acceperat, redditus ex parte illis distribueret. Urbem nempe provinciæ primam,

Dux

Dux ipse fibi habebat; reliqua provincia in tot dividebatur partes, quot Longobardorum *Farae*, id est gentes, imperio ipsius suberant. Acceptam provinciae partem gens quaelibet pro familiarum, ex quibus composta erat numero, denuo dividebat. Hinc cum omnes unde viverent, ab Italos acciperent, fiebat, ut rei familiaris cura nemini impedimento esset, quo minus promptus, & armatus in expeditionem exire posset.

## §. IV.

Duo nobis demonstranda sunt. *Primo* prædiorum quæ habebant, dominium Italos mansisse integrum; *Deinde* provincias eo quo diximus modo divisas fuisse.

## §. V.

Et mansisse Italos prædiorum dominos, multis argumentis demonstrari potest. Nullibi enim Romanos rebus suis exutos refert Diaconus, sed per *hospites* divisos, & *tributarios* effectos, ut tertiam partem *frugum suarum* Longobardis persolverent, \*) & L. III. c. 26. de temporibus Auctoris loquens, populi tamen, inquit, aggravati inter *hospites Longobardos* partiuntur. Qui quæso? Longobardi, complures ante annos Italæ Imperium adepti, vocari possint hospites, nisi de hospitio, quod Itali ipsis præbebant sermo esset? ac quoniam Longobardus omnis erat miles, idemque & hospes, nemo militum prædii, quod homo Italus tenebat, erat dominus, sed ibi versans accipiebat ab Italo, quod hospes hospiti præstare solet, alimenta intellige & habitacionem.

\*) L. II. c. 32.

nem. Diserte Diaconus, Italos tertiam *frugum suarum* partem tributi loco perfolville. Quodsi fruges illorum erant, erant illorum profecto & prædia, in quibus natæ fruges. Jam Italis quod fictioni consentaneum est, in servitutem redactis, Longobardos prædiorum fuisse dominos finge: unde quæso victoribus quidvis in viatos licere sibi arbitrantibus ea continentia, ea imperandi modestia, ut minime duas frugum partes, sed non nisi tertiam sibi poscerent. Mitto jam, tributa non perfolvi nisi ex bonis propriis. Tantum profecto abest, ut Longobardi rerum suarum dominio quemquam exuerent, ut \*) Arani licet, aut omnino pagani, concederent, "Felici Tarvianæ Ecclesiæ Episcopo" id postulanti omnes Ecclesiæ suæ facultates, & eorum "Rex Alboinus per suum pragmaticum postulata firma- "ret." Erat sane hoc testante Diacono mirabile in Regno Longobardorum, "nulla erat violentia, nullæ" struebantur infidiae, nemo aliquem injuste angariabat, "nemo spoliabat &c. Nemo itaque rerum suarum domino quemquam exuebat.

## §. VI.

Nec te moveat, *feuda* in usu fuisse apud Longobardos. Feuda enim illa hospitia erant; pars frugum. Hæc inquam, tributa dividebantur inter Longobardos, ut rebus ad vitam tolerandam necessariis muniti, militiæ promptius vacarent. Hæc, licet ex his, quæ modo attulimus, clare appareant, ut tamen animo Lectoris omnem ea de re dubitationem eximam, ad duo

---

\*) Diaconus L, II, c. 12.

duo provoco privilegia huic opellæ infra §. XLIV. & XLV. inserta, quorum alterum ab Imperatore Friderico I. quibusdam Longobardis concessum, alterum à Carolo Magno. Utrumque *feudi* vocem ita adhibet, ut tributum, genus certe tributi, significet. Nec dubitare quis poterit, hunc, quo Imperatores Longobardis loquentes, utebantur, vocis significatum, eundem, quo utebantur & ipsi Longobardi, fuisse. Quæ quidem adeo vera sunt, ut antiquas Longobardorum consuetudines explicaturus sit nemo, nisi vim vocabuli, quemadmodum diximus, explicet.

## §. VII.

Nunc de provinciarum divisione ut disputemus, ordo postulat. Producimus autem ea de re testem & litterarum studiis clarum, & ex ipso Longobardorum populo prognatum, eamque ob causam omni exceptione majorem, PAVLVM WARNEFRIDI filium, alio nomine PAVLVM DIACONVM; sic enim ille Libro II. "dum "Alboin animum intenderet, quem in his locis *ducem* "constituere deberet, Gisulphum, ut fertur suum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem *Strator* "erat, quem lingua propria *Marpabis* appellant, Foro "julianæ Civitati, & toti regioni illius præficere statuit. "Qui Gisulphus non prius se regimen ejusdem civitatis & populi suscepturnum edixit, nisi ei, quas ipse "eligere voluisset, Longobardorum Faras, hoc est, *generations* vel *lineas* tribueret. Factumque est, & annuente fibi rege, quas optaverat Longobardorum *præcipuas prosapias*, ut cum eo habitarent, accepit, *& ita demum DVCTORIS honorem adeptus est.*"

## B

## §. VIII.

## §. VIII.

Patet ex hoc Warnefridi testimonio, 1. Gisulphum regio quidem sanguine prognatum, ducis vero munere apud Longobardos eam ob rem functum minime fuisse, quod omni Longobardorum multitudine inter duces olim divisa, nulla nunc, quam ipse duceret, populi pars supererat. Deinde 2. regem, cum provinciae foro juliensi praeficere ipsum vellet, ducis nomen imponere ipsi non poruisse, nisi tradita prius imperio illius parte Longobardorum, id est exercitus. 3. Gisulphum minime singulos viros, ut ipsis imperet, delegisse, sed integras gentes, hasque 4. cum illo habitasse.

## §. IX.

Itaque cum provincia duci tradita, minime in tot partes, quot ille armatos secum habebat, aut in bellum educere debebat, sed in aequales numero gentium divisa fuerit, facile perspicimus, redditus, quibus gens quaelibet fruebatur, jure haereditario apud ipsam fuisse, ea tamen lege, qua provinciam ipsam dux a rege accepérat, id est, ut duci in bellum exeunti certo cum armatorum numero adesset, quemadmodum dux regi. Ait, quoniam gens, familia, aut milites prædii, ex cuius redditibus alebantur, domini non erant, nullam accipiebant injuriam, si rex eos provincia decidere jussos, alibi subsistere jubebat. Et exinde adparere arbitror, quam ob causam Feudista L. I. T. I. afferat, antiquissimo tempore feudum sic fuisse in dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent rem a se in feudum datam auferre. Auferebatur sane feudum militi ex provincia evocato: poterat autem evocari, quando

quando regi placebat. Auferebat sane Rex ceteris du-  
cibus lectissimas gentes, ut Gisulphi ducatui eas trade-  
ret. Quam ego rem inter artes imperii fuisse arbitror,  
ut augendi potentiam dacum, minuendive, potestas  
semper esset regi.

## §. X.

Copiæ itaque, quas dux in bellum educebat, tot  
constabant turmis, centuriis, aut vocabulo apud nos re-  
cepto, companiis, quot imperio illius suberant Longo-  
bardorum gentes. Et quoniam turma quævis ducto-  
rem ut haberet, necesse erat, nomen illi rei conveniens  
imponebatur, & olim quidem *Valvasor major*, feudistæ  
vero temporibus, *Capitaneus* appellabatur.

## §. XI.

Hujus curæ demandatum erat, ut numerum,  
quem duci sistere debebat militum, præsto haberet,  
ex quavis nempe familia militem, ut credibile est, unum,  
aut suadente necessitate plures; eamque ob causam il-  
lius erat officii, ut partem provinciæ, tributa intellige,  
ex illa parte præstanda, gentique, cui præerat, assigna-  
ta, in singulas familias aut forte, aut secundum boni vi-  
ri arbitrium divideret. Hinc intelligimus, qui feudista  
dicat: "Capitaneum esse, qui de plebe aliqua, vel ple-  
bis parte per feudum est investitus." Plebs enim,  
quod satis exploratum, illis temporibus vicum, pagum,  
aut oppidum significabat; Duces vero, quod ex Diacono  
discimus, urbem provinciæ suæ sibi habebant, & in  
ea vitam degebant, quo factum, ut gentibus sub impe-  
rio illorum viventibus dari non potuerint nisi pagi, vi-  
ci, castella & oppida minora, id est pro seculi illius lo-

quendi more, plebes; plures nempe genti unicæ, una, familiæ uni, aut si paucos ea viros numerabat, forsitan pluribus.

## §. XII.

Familiæ cuivis plebs aliqua ea lege a Capitaneo dabatur, ut ex redditibus, id est tributis, quæ ab incolis plebejis pendebantur, vitam sustentaret, equos aleret, arma sibi compararet, & militem unum vel plures Capitaneo sisteret. *Plebes* itaque, aut partes earum dabantur per *feudum* a Capitaneo *Valvassoribus*.

## §. XIII.

Fuisse familiæ cuivis rectorem aliquem ætate aut fortitudine conspicutum, eamque ob causam *Senioris* nomine clarum, itidem ex Diacono discimus. Refert enim ille L. IV. c. 44. 45. "ducem Beneventi *Aricbin*" "Grimoaldum & Rodoaldum ducis quondam Foroju-liensis Gisulphi natos, jam florem juventutis habentes, "quasi proprios filios Longobardis, qui ipsi aderant, commendasse, diem deinde obiisse supremum. Defuncto itaque illo, filium Ajonem ductorem Samnitum fuisse factum, cui sicut *seniori fratri* & domino Rodoaldus & Grimoaldus per omnia paruerint."

## §. XIV.

Satis clarum est, Rodoaldum & Grimoaldum, quod ex duce forojuliensi prognati, bona paterna in ducatu isto habebant, & ob id exercitus forojuliensis milites esse censebantur, aliam causam, cur Ajoni parerent, non habuistis, nisi quod a patre ipsius adoptati erant pars familiæ, & fratres Ajonis ætate ipso juniores esse putabantur.

## §. XV.

## §. XV.

Parebant igitur fratres ætate juniores *Seniori*, & exinde factum fuisse existimo, ut significatus vocabuli ad quemvis feudi dominum paulatim sit translatus.

## §. XVI.

Sed, quo clarius appareat, Capitaneo id agere in-  
cubuisse, ut ex tradita sibi provinciæ parte, certum ali-  
quem armatorum numerum duci sisteret, eamque ob-  
causam eo gavisum fuisse jure, ut bona alendis militi-  
bus dicata, familiis singulis distribueret, ea quæ de ma-  
joribus suis Diaconus ipse narrat, breviter adducere  
animus est.

## §. XVII.

Refert autem L. IV. c. 39. abavum suum *Leupichin*  
cum ceteris Longobardis in Italiam advenisse, eoque  
rebus humanis exempto, filios, quos puerulos reliquer-  
at, omnes ab Avaribus captos & in Pannioniam abdu-  
ctos fuisse. Ibi proavum suum Leupichin nomine,  
complures annos servitutem tolerasse, tandem vero,  
relictis germanis, se ipsum fuga in libertatem vindicaf-  
fe. Redditus oris patrii “ad domum, in qua ortus  
“fuerat, pervenit: quæ ita deserta erat, ut non solum  
“tectum non haberet, sed etiam rubis & sentibus plena  
“esset. Quibus ille succisis & muneribus deinde consan-  
“guineorum & amicorum suorum ditatus, & domum  
“reædificavit, & uxorem duxit, sed nihil de rebus, quas  
“genitor suus babebat, exclusus jam ab iis, qui eas inva-  
“serant, longa & diurna possessione, conquirere potuit.”

## §. XVIII.

Redux ex captivitate Leupichis, offendit pater-

B 3 nam

nam domum a nemine occupatam, sed vetustate col-  
lapsam, sentibusque obfitam. Ex quo intelligimus,  
nec aream domui adjacentem, hortisque aut stabulis  
aptam, per absentiam domini a quoquam occupatam  
fuisse. Qui fiebat itaque, ut cetera patris bona vindi-  
care sibi minime potuerit? Nam & amicos habebat  
& consanguineos, & utrorumque in se benevolentiam  
usu cognitam. Oportet itaque, ut ceterorum, quæ  
pater possederat, bonorum occupatio, Longobardorum  
moribus consentanea, hancque ob causam justa fuerit,  
nec propterea judex aut Capitaneus adiri, nec posse-  
sores in jus vocari potuerint. Domus ad patrimo-  
nij Leupichis pertinebat, ac ut vocabulo Longobar-  
dis usitato utar, ad allodium ipsius. Nec occupata igi-  
tur, nec a quoquam tacta fuerat; fieri enim poterat,  
ut in servitutem abduicti filii, aut omnes, aut eorum ali-  
qui, libertati pristinæ restituerentur. Alia longe ratio  
erat bonorum, ex quibus miles ali, Capitaneoque in  
bellum proficisciensi fisti debebat. Hæc enim, familia  
Leupichis penitus sublata, quod ratio eorum postula-  
bat, in alium quendam ex Longobardis translata fue-  
rant, auferri jam nescia. Cum enim, narrante Diacono,  
per absentiam abavi sui, vasta altus intra paternæ  
domus parietes succreverit, factum esse omnino vide-  
tur, ut Longobardus paterni feudi possessor, eodem  
temporis spatio familiam & filiis & nepotibus auxerit,  
quibus jus a Capitaneo in genitorem collatum, & na-  
vata in bellis opera confirmatum, auferri nequibat.

## S. XIX.

Planum itaque est, quod ait Feudista: *Valvasini  
antiquo*

*antiquo quidem usu, consuetudinem feudi nullam habebant:  
Valvasore autem sine filio mortuo, feudum, quod valvasori  
minori dederat, revertebatur ad Capitaneum. Ubi obiter  
monemus, consuetudinem feudi habere, idem esse, ac  
jure feudali gaudere. Cetera plana sunt, ut diximus.*

S. XX.

Dabatur enim feendum Valvasori 1. a Capitaneo,  
2. ob operam in bello præstandam. Poterat fieri, ut  
Valvasor aliunde haberet, ex quo vitam sustentaret, &  
necessaria ad expeditionem bellicam sibi compararet;  
poterat fieri, ut comparandis, quibus indigebat, omni-  
bus pars feudi sufficeret: poterat itaque aut feendum  
integrum, aut partem illius alii cuidam concedere.  
Sed alius ille feudi consuetudine non utebatur. Cum  
enim jus referendi aliquem in militum numerum ad  
Valvasores minime pertineret, sed ad Capitaneum, ipse,  
de quo nobis fermo est, feudi possessor miles non erat,  
sed qui possessionem illi concesserat, quo absque liberis  
defuncto evanescerat jus feendum possidendi ab hoc in  
illum translatum, & feendum revertebatur ad Capi-  
taneum, qui milites duci suo sistendos, legere, ac ne  
numerus eorum decreceret, curam gerere debebat.  
Ex his ratio patet, cur Tit. VII. L. I. declareret, e natura  
feudi esse, ut feuda a Capitanis data, absque culpa re-  
vocari non possint, Valvasino vero data, omnino. add.  
T. XVI. L. I.

S. XXI.

Quoniam miles erat nemo, quia feendum justo ti-  
tulo possidebat, sed quia a Capitaneo inter milites erat  
relatus, fieri poterat, ut Valvasinus ab illo inter milites  
refer-

referretur. Quod si quis belli casus variamque fortunam animo perpendat, concedet facile, accidisse nonnunquam, ut inter milites legeretur, qui Longobardus non erat, eamque ob rem militari genere minime ortus, sed plebejo. Nec exempla defunt, quorum nonnulla statim prolaturi sumus. \*) Quod si annuente Capitaneo pars aliqua feudi, imo & integrum feudum a Longobardo tribuebatur plebejo aut diversae nationis homini, in familiam ille tribuentis transibat, & deinceps jure Longobardorum censebatur, quo fiebat, ut & posteri ejus pro militibus haberentur, & consuetudine feudi uterentur.

## §. XXII.

Hinc Feudista pergit. *Hodie Valvasini in curia Mediolanensi eodem jure uruntur, quo & Valvasores. Ceteri vero, qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitaneis seu Valvasoribus acceperint, plebeji nibilominus sunt.* Sublato enim Longobardorum imperio, cum Rex Francorum Carolus Italiæ regnum adeptus esset, nemini quidem jura olim acquisita aufferebantur, sed & personæ, & bona, quæ tunc feodorum jure utebantur, iisdem utebantur & deinceps.

Aliquam

\*) Adlectos fuisse nonnunquam in Longobardorum numerum, qui ex alia gente erant, exempla in Diaconi libris obvia satis demonstrantur. Refert enim L. I. C. 12. "obtulisse se quandam ex servi conditione ad pugnam cum Assippito quodam bellicissimo ineundam, caraque, ut, si de hoste victoriā caperet, a se suaque progenie servitutis navum auferret." Et sequenti capite narrat: "Longobardos in Maurinam pervenientes, ut bellatorum possent ampliare numerum, plures a servili jugo erekptos ad libertatis statum perduxisse. Et Cap. 20. Hinc Longobardi ditiones effecti, aucto de diversis gentibus, quas superaverant, exercitu, ulro cooperant bella expetere &c.

Aliquam tamen res feudalis mutationem est experta: Capitaneis enim liberum amplius non erat, militum suorum numerum pro lubitu augere, aut extincta vallis familia, feudum, quod illa tenebat, in aliam conferre. Erat enim e re Caroli, ut vires Longobardorum frangerentur, maxime postquam dux forojuliensis rebellare tentaverat. Ex eo tempore Carolus, referente id Monacho Egolismensi, in civitates, quæ rebellaverant, Francos misit, & *Sigonio* teste, legem salicam in Italiam intulit.

### S. XXXIII.

Quod si quis existimat, Feudistam ad remota Caroli tempora fortasse non respexisse, sed ad alia, ætati qua virebat, propiora, id quidem concedere facile possumus. Sufficit eam fuisse reipublicæ Longobardicæ rationem, ut cives omnes rei bellicæ studerent, opicia vero & culturam agrorum, populis quos devicerant, id est, Italos aut Romanos relinquenter, hisque tributa imperarent. Itali itaque plebeji dicebantur, Longobardi vero milites. Et quoniam solis Longobardis curæ erat, ut communem patriam armis tuerentur, præstantiores Italos habebantur. Præterea quoque soli Longobardi erant liberi, id est, nobiles; tributa enim nemini pendebant, sed ab Italos accipiebant. Ex quo perspicimus, neminem moribus eorum fuisse nobilem, nisi in commilitium adsciturum. Tunc enim civis & Longobardus esse censebatur. Quam ob rem statim appareat, ex militibus nemini jus nec fuisse, nec esse potuisse, ut extraneum hominem familiae suæ obtruderet, ac proprio ausu in commilitium Longobardum

C

rum

rum adscisceret, sed auctore Capitaneo, aut Duce facere id debuisse. Hos vero sibi ipsis minime defuisse, sed quando militum numero imminuto, vires populi tuendo imperio minus sufficere videbantur, admisisse extraneos homines in societatem armorum & nobilitatis, exempla demonstrant.

#### §. XXIV.

Hanc augendi milites libertatem sublatam fuisse, postquam Longobardi alieno parere imperio coacti fuerant, æquus rerum arbiter, facile opinor, concedet, etiam si nobis per obscuritatem historiæ, alia nunc præter Egolismensis Monachi & Sigonii, scriptorum testimonia non occurrant. Videtur autem libertas, de qua nobis sermo est, apud Longobardos denio obtinuisse, postquam sublato Carolidarum in Italiam imperio, summa rerum ad ipsos redierat. Nova deinde rerum conversio seculata est, cum Otto Germaniæ Rex, pulso Berengario, & Italia in potestatem redacta, imperium in Germanos transferret. Dubium itaque est, ad quænam tempora respexerit Feudista, cum *Valvassini antiquo usu fendi consuetudinem habuisse nullam scriberet.* Toties enim nullam habuisse, ipsa rerum argumenta evincunt, quoties modicae Longobardorum vires Italiæ Regibus erant commodo.

#### §. XXV.

Restat, ut rationem reddere conemur, quam ob rem Feudistæ temporibus *Valvassini in curia Mediolanensi eodem jure usi sint, quo & Valvassores.* Quoniam jure illo nusquam, nisi eo quo Feudista narrat loco, utebantur, ratio ex ipsa Mediolanensium republica petenda

da videtur. Illis autem temporibus Mediolanum Ducī minime suberat, sed ipſi Regi parebat, quemadmodum plurimae Longobardorum Civitates. Accidit deinde, ut Mediolanenses opibus elati, de libertate cogitarent, & quo pacto cogitata ad exitum perducere possent, sollicite circumspicerent. Hanc ob rem, ceteras civitates aut in servitutem trahere, aut imperio suo vi subjicere conantes, ut magnum semper militum numerum praesto haberent, maxime laborabant. Licebat itaque cuivis civi, ut feudum, quod possidebat, in plura minora divideret, ac reipublicæ plures ex eo milites sifteret. Sed haec pluribus demonstrare, quoniam argumenta, quibus sententia nostra nititur, ex illorum temporum historiis petenda forent, difficile autem factu sit, rerum tunc gestarum seriem breviter expōne-re, in aliud tempus differre cogimus. Speramus autem rationem a nobis modo allatam, cuivis historiarum gnaro, etiamsi fortasse minus certam, vero tamen haud absimilem, visum iri. Eodem certe seculo quo Feudistam patriæ consuetudines in litteras redigisse novimus, Mediolanenses regiæ potestati summis viribus obliuctabantur, & modo secunda fortuna usi, vicinas civitates sibi subjiciebant, modo in angustias redacti, extrema pericula subibant. Omnino itaque id agere debebant, ut ex iisdem redditibus, quam plures possent, milites alerent, & ad expeditionem bellicam promptos haberent. Diserte Otto *Frisingenſis* L. II. c. 13. "Itali, inquit, ut ad comprimendos vicinos materia non careant, inferioris conditionis juvenes vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices,

"ces, quos ceteræ gentes ab honestioribus & liberalioribus studiis tanquam pestem propellunt, ad *militiam* "cingulum, vel dignitatum gradus assumere non de-dignantur." Ejusmodi homines Fridericus I. Imperator a militia removerat, fanciens, referente Urspergenfi, "ne cingulum militare aliquatenus assumant, & "qui jam assumserunt, per judicem provinciæ a militia pellantur." Quæ cum ita sint, intelligimus Mediolanenses regiæ potestati maxime infensos, latam a Friderico legem minime curasse, sed pristinis moribus in-hærentes, quam maximum poterant militum numerum fibi comparasse.

## S. XXVI.

Hinc ait Feudista: *Ceteri*, id est, ad curiam Mediolanensem non pertinentes qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitaneis seu Valvassoribus acceperint, plebeji nihilominus sunt. Discriben inter militem & plebejum hoc erat, ut hic tributa penderet, ille pericula belli subiret. Proprio itaque ausu plebejus oneri se subducere, aut genus servitii mutare minime poterat. Et olim quidem, cum omnis Italus plebejus, omnis Longobardus miles eset, facile erat, ut Italus ad militiam transiret. Poterat enim & generere nobilis, & virtute clarus, & divitiis conspicuus esse. Itaque suadente id vel necessitate vel amicitia, relati fuere in militum numerum quam plurimi, nec tandem supererant, qui legi possent alii, nisi vilioris conditionis, genere, animo & armorum usu militibus minime pares. Sic fiebat, ut *plebeji* appellatio & idem & aliud ac olim, diceret. Nam & illis & quæ præ-

præcesserant temporibus, plebejus erat, qui militibus tributa pendebat. Sed olim, eo scilicet tempore, quo Longobardi imperio potiebantur, omnis Italus erat plebejus; Feudistæ ætate, non nisi inferioris conditio-  
nis; reliqui enim ad milites transferant.

## §. XXVII.

Quamobrem nulla adest ratio, cur ad Feudistæ verba hæsitemus, quasi diuturna feudi possessione nobilitatem acquiri posse, illa innuant. Eo enim tempore quo Longobardi rerum potiebantur, ut nobilem diceres aliquem, aut genere nobilis esse debebat, aut militia. At generis nobilitas nihil ad feudum. Sic enim Diaconus L. II. c. 32. "His inquit, diebus multi *nobilium Romanorum* ob cupiditatem interfecti sunt, reliqui vero pes hostes \*) divisi, ut tertiam partem suarum frugum Longobardis persolverent, tributarii efficiuntur." Nam Longobardi, quod negotii ratio fieri volebat, imperium in Italos armis partum, armis tueri ipsi debebant, nec curam hujus rei victis & in potestatem redactis, permittere poterant, & quoniam manus armis impeditæ agris colendis, reliquisque, quibus vita sustentatur, laboribus vacare ne-

C 3 qui-

\*) De eo tempore Diaconus loquitur, "quo Longobardi Regem non habentes, Ducibus parebant. Sed Longobardi tum hostes Romanorum, id est Italorum non erant, sed domini; nec nobiles illi interfecti, quia dicto non audienter, bellum moliri credebantur, sed quia opibus conspicui." Legendum iraque puto, per hospites divisi, id est per Longobardos. Procur sententiae nostræ addit Lindenbrogius in observationibus editioni quam curavit, adjectis, monens, codices alios hospites habere, alios, Pares. Porro ex his Diaconi versibus colligimus, nobiles Romanos dum Alboinus imperabat, aut omnino nulla, aut quod magis credibile videtur, leviora tributa persolvisse,

quibant, unde vitam tolerarent ab Italis accipiebant. Soli itaque a tributis immunes, eamque ob causam soli liberi atque nobiles, quia soli militares, soli tuendo imperio, gerendisque reipublicæ negotiis intenti. Hæc itaque nobilitas possessionem feudi præcedebat, tantum abest, ut possessione, quam diximus, acquisita fuerit. Quod enim si dantem respexeris, tributum erat, idem si accipientem species, feudum est. Hinc apparet, verissima & naturæ feudorum maxime convenientia protulisse Feudistam, cum eos qui ab antiquis temporibus feudum haberent, nobiles haberi affirmat. Antiquitus certe feudum apud Longobardos concedebatur nemini, nisi homini libero, a tributis immuni, ex populo domino prognato, eamque ob rem militi; certissimum ergo nobilitatis argumentum, possessio feudi a majoribus antiquitus acquisiti. Non quia feudum illud diu possessum erat, sed quia antiquitus familiae datum. Ut enim tunc concederetur, familiam tunc nobilem esse oportebat. Hujus nobilitatis testis est possessionis diuturnitas, origo vero minime.

### S. XXVIII.

Hæc perpendenti, fons omnis discriminis feuda inter Longobardica & Germanica mox patebit. Longobardi enim, Italiam intrantes, solum nempe haud patrium sed alienum, in quo hæreditates a parentibus relietas quas sibi vindicarent, omnino nullas habebant, consultum esse minime putabant, ut Italiam occidioni dadis, domini prediorum ipsi sifient, sed unicuique incolarum res suas sibi habere permittentes, dominij, quod homo Italus habebat, vim, non nisi ex parte aliqua

qua diminuebant. Usum fructum loquor. Dux in provinciam missus, accipiebat provinciae non dominium sed imperium, ut pacatam servaret, ut tutam ab hostibus reddebet, ut milites ducatui suo concessos, ad expeditiones paratos haberet, ipsisque unde viverent, distribueret. Ast quoniam licitum ipsi non erat, incolas bonis aut praediis suis exuere, qui militibus dominium praediorum concedere potuisse? Jus ipsis concedebat, partem fructuum praedii a domino exigendi, cuivis nempe familie ex certo aliquo praedio. Hoc jus feudum est, aut si curatius loqui velis, jus feudi; usum feudi, Auctor noster appellat. Origo itaque ejus, imperium in populum devictum, sed clementer habitum, cui nec vita nec bonorum dominium eripiebatur. Longe aliter res se habet, si populum species liberum, in ipso natali solo degentem. Omnis enim tellus patria, inter cives cum olim divisa sit, ingenuorum quilibet, unde vitam toleret, a parentibus accepit, libertatem vero patriae tueri, quoniam ipse illa fruitur, ab ipsa natura cogitur: Ergo, haec militia nihil ad feudum. Quodsi potentiori alicui militiam quis spondeat, utque praestari illa possit, dominium utile praedii alicujus ab ipso accipiat, libertas pristina haec tenus imminuitur, ejusmodi vero feuda domino praediorum innituntur. Magna itaque inter haec & Longobardica illa, intercedit differentia. Sed de his plura nunc proferre nolumus.

## §. XXIX.

Licebit tamen nobis dubitationem aliquam ex Diaconi verbis hauftam, Lectoris animo eximere. Refert enim ille L. II. c. 31. *Clephonem*, postquam  
Longo-

Longobardis præesse cœpit, "multos Romanorum vi-  
"ros potentes, alios gladio extinxisse, alios ab Italia ex-  
"turbasse." Secuti sunt Clephone extincto, vestigia ejus  
duces, apud quos sublata potestate regia, imperium  
tunc erat. Diaconus enim, "per hos, inquit, Longo-  
"bardorum duces, septimo anno ab adventu Alboin &  
"totius gentis, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfec-  
"tit, civitatibus subrutis, populisque, qui more sege-  
"tum excreverant, extintis, exceptis his regionibus,  
"quas Alboin ceperat, Italia ex maxima parte capta, &  
"a Longobardis subjugata est." Videntur itaque iis  
temporibus, id est, primis post adventum Longobardo-  
rum in Italiam, feuda dominio innixa apud ipsos in usu  
fuisse.

## § XXX.

Sed responso haud difficilis. Clephonem & duces  
prædia dominis erepta militibus in feudum dedisse,  
Diaconus minime refert. Neque ut darent, necesse erat,  
quod omnis Longobardorum multitudo paucis ante  
annis in Italiam deducta, unde viveret, jam habebat.  
Sed durum videbatur, non nisi fructuum partem in  
patrimonio habere: Multis itaque Italorum e medio  
sublatis, prædia dominis vacua duces sibi retinebant,  
allodii nempe jure. Hinc intelligimus, qui fieri potue-  
rit, \*) "ut duces restituto regno, omnem substantiarum  
"fuarum medietatem regalibus usibus tribuere potue-  
"rint, ut esset, unde rex ipse sive qui ei adhærerent,  
"ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur."

Nam

\*) Disc. I. III. c. 16,

Nam bona regalibus usibus tributa, ipsorum erant propria, nulla militiae lege gravata. Vera autem esse, quæ modo dixi, opus intellige, fuisse minime, ut militibus a Clephone aut a ducibus feuda darentur, eamque ob causam non apparere, cur data nihilominus fuisse, credibile quis existimet, ex Gregorio magno \*) intelligimus, qui provincias a ducibus bello petitas, postquam habitatoribus aut ejectis aut occisis deserta erant, nullos ex Longobardis incolas accepisse, sed feris bestiis permislas, jacuisse in cultas, testatur. Timebant itaque duces, ne multitudo Italorum paucitati suorum damno esset. Rei totius ordinem hunc accipe.

§. XXXI.

Rex alboinii Italiam petiturus, populi sui paucitate motus, auxilia circumspicere cœpit. Multis itaque ex Gepidis Sarmatis aliisque populis in societatem assumptis, Saxonibus præcipue, quibuscum verus illi amicitia intercedebat, commilitum obrulit. Misérunt illi XX. Millia armatorum, cum uxoribus liberisque, id est, totidem millia familiarum. Intrata deinde Italia, subacta, pulsis Exarchi copiis paucos intra annos, magna illius pars a victoribus divisa. Tunc Saxones, quamvis ut in Italia habitarent, advenerant, \*\*) assumptis secum uxoribus suis liberisque, missa Italia, iter in patriam instituunt. Addit Auctor causam, "permis-  
sa ipsis in proprio jure subsistere a Longobardis haud fuis-  
se, eamque ob causam ad suam patriam eos repedasse." Rex enim Albointis, prudenti, ut diximus, consilio usus,

D

ne

\*) Dialog. L. III. c. 38.

\*\*) Diacon, L. III. c. 6.

ne aut miles nimium dispersus ad subita promptus non esset, aut Italorum animi exacerbarentur, non nisi eam Italiæ partem, quæ præsenti necessitatí sufficere videbatur, occupaverat, suos autem, proprietate prædiorum Italij relicta, fructuum parte contentos esse jusserrat. Neque Longobardis durum hoc aut intolerandum videbatur, quod in alieno solo prognati omnes, nullisque majorum hæreditatibus unquam ditati, huic vitæ generi assuefacti erant; Saxones vero, qui agros suos & cetera bona reliquerant, ut domini Italiæ essent, stultum arbitrabantur, patriis bonis longe inferiora accipere, eamque ob rem domum reperere decernebant. Quodsi quis Saxones aliam fortassis ob causam ex Italia abiisse existimat, negare tamen non poterit, discessum eorum vires Longobardorum valde immuniisse, ac tum Clephonem tum duces de salute ac securitate suorum anxios reddere debuisse. Et de plebe quidem quod ea & Gothis & Romanorum Imperatoribus tributa pendere olim consueverat, nihil erat metuendum, nisi a Sacerdotibus forsitan aut a Romanorum nobilibus in Longobardos concitaretur. Erant enim eo tempore Longobardi partim paganæ partim Arianæ superstitioni dediti. Ejectis itaque Sacerdotibus ac Italorum potentioribus, aut neci datis, bona eorum & ecclesiârum partim sibi ipsis vindicabant, partim Sacerdotibus suis tradebant. Deinde ne exilibus Romanorumque Exarcho spatiū ad colligendas copias impetumque in Longobardos faciendum daretur, ipsi expeditione in omnem partem facta, provincias, quas ob suorum paucitatem occupare nequibant, habitatori- bus

bus nudare, ac quam maxime desertas penitusque incultas reddere studebant, hoc pacto, securitati suæ optimæ se consuluisse rati. Hæc cum ita sint, si quis prolatæ a nobis de origine deque natura feudorum Longobardicorum, animo revolvere velit, speramus, fore, ut ea historiarum monumentis, ipsiusque Feudistaræ effatis consentanea esse, judicet.

## P A R S II.

## §. XXXII.

Nunc ad reliqua pergimus. Ait Feudista: *Nam illi, qui Soldatam habuerunt, vel acceperunt, vel habent, per eam nullum pedagium, sed nec feudi usum acquirunt.* Quoniam qui Soldata fruatur, miles est, certa mercede conductus, ut operas bellicas præstet, facile adparet, usum feudi, id est jus feudi illum, Longobardici vero omnium minime, illum neutiquam habere. Primo enim contractus cum ipso initus, quemadmodum omnis locatio conductio, vita contrahentium naturaliter finitur; deinde vero mercedem a nemine, nisi ab ipso conducente & illis, qui factum illius præstare debent, exigere potest. Ex quo tertio simul patet, hunc militia fungendi modum, nobilitatem nec supponere ullam, nec probare, multominus acquirere.

## §. XXXIII.

Sed de *Pedagio* difficilior quæstio videtur. Fuere, qui aliter legendum esse putarent. Cujus rei causam hanc esse existimamus, quod mutato paulatim, ut fieri solet, quem olim habebat, vocis significatu procedente tempore, non adparebat, qui militi jus pedagii competere

tere possit. Optimum itaque factu erit, ut quidnam ipsis Feudistæ temporibus significaverit, ex seculi illius monumentis eruere conemur.

#### §. XXXIV.

Et nos quidem in ea sumus sententia, vocem esse ex duabus compositam, quarum altera sit germanica, altera semibarbara. Probe novimus, relatum fuisse *agium* a viris quibusdam doctissimis, non inter vocabula proprium sibi significatum habentia, sed inter nudas vocabulorum terminaciones. Sed quod pace illorum dictum fit, *agium* iisdem quibus olim natum fuit locis, Italiam dico, significatu sibi proprio, eodem quo olim & hodie gaudet, ut idem sit ac praestatio; licet non nisi de certo aliquo praestationis genere, usu adhiberi soleat. Descendit haec vox, sed flexione barbara a verbo *agere*, quod in deteriorius recente Italorum sermone, idem dicebat ac facere aut praestare. Adjiciebatur vero agium vocabulis aliis, ut caufa aut genus praestationis exprimeretur. Inde *moneragium*, *paragium*, *apanagium*, *pedagium*, *homagium* & *agia* alia complura.

#### §. XXXV.

Priorem vocis partem quod attinet, deducere nonnulli originem illius ex latina lingua conati sunt: ut pedagium idem sit, ac pecunia ob transitum a viatore soluta. Occurrunt autem in seculi illius monumentis loca, significatum istum minime permittentia. Sufficit unum adduxisse. Breve loquimur Innocentii II. P. M. ad omnes Archiepiscopos, Episcopos &c, ex hortatorum, ut a fratribus hospitalis Hierosolimitani vel eorum hominibus pedagium seu alterius generis telonium

nium exigi non permittant, d. d. 12. Kal. Mart. 1130. in  
Lunig. Cod. dipl. Ital. T. IV. p. 1453. Sancit ibi Pa-  
pa, "ne a præfatis fratribus vel eorum hominibus de  
"eorum viçtualibus, vestimentis, pecudibus seu de aliis  
"rebus eorundem usib[us] deputatis, *Pedagium*, vendam,  
"paffagium, carthagium seu aliam quamlibet consuetu-  
"dinem exigere præsumant."

## S. XXXVI.

Lubenter concedo, eidem, de qua loquimur, vo-  
ci eodem ævo eundem tributum fuisse significatum,  
quem paſſagio. Exemplum præbeat privilegium *Fri- derici I. Imp. l. c. p. 1458.* fanciens, "ut nemo præsu-  
"mat fratres ordinis S. Joh. Hieros. angariare, vel im-  
"placitare aut ab illis in pontium sive navium aut portarum  
"transitu pedagium accipere, aut in foris telonium cape-  
"re &c." Hoc quidem loco pedagium disertis verbis  
pecunia est ob transitum soluta. Itaque, cum vox hæc  
modo idem modo aliud dicat, duos habeat significatus,  
oportet, alterum latius patentem, alterum magis limi-  
tatum, qui cum illo, perinde ut species cum suo gené-  
re aliquid commune habeat, illique quodammodo sit  
similis. Ratio in promptu est. Eadem enim vox, ut  
rebus duabus diversitatem arguentibus adhiberi possit,  
res illas aliquam inter se similitudinem habere necesse  
est: eadem vero similitudine illa, effici novimus, ut  
res diversæ ad idem genus referantur. Oportet itaque,  
ut ex duabus rebus communem sibi appellationem ha-  
bentibus, aut altera sit genus altera species; aut utra-  
que sub aliquo genere comprehendatur. Certum  
profecto est, Feudistam de Soldatæ juribus scribentem,

D 3

eam

eam præstationis speciem, qua permisso pontem aut portam transeundi redimitur, in animo minime habuisse.

§. XXXVII.

Latius autem patens pedagii significatus, sequenti modo erui posse videtur. Posterior vocis pars præstationem innuit; omnis vero præstatio, cum aut debitum sit, aut a voluntate dantis pendeat, genus præstationis, ad quod pedagium referendum, ex priori vocis parte dijudicandum est. Quam si attentius consideramus, eandem esse vocem, qua Germani voluntarias præstationes olim appellabant, perspicimus. His enim commune nomen erat *Bede*. Quo factum, ut quidquid a populo principibus pendebatur, nec pendi antiquitus fuerat, ad Beddam referretur. Illis enim temporibus, quemadmodum (quod nos quidem sciamus,) & nostris fieri suavit, principes tributa minime imperabant, sed pendi a civibus, nisi grave foret, amice flagitabant.

§. XXXVIII.

Porro latiorem interdum pedagio significatum fuisse, adparet ex eo, quod in quibusdam monumentis idem significet ac *Gabella*. Exempli loco sint litteræ Communitatis Florentinæ ad Communitatem Bononiæ de prædio castro Plamatii imponendo, ejusque sustentatione scriptæ, d. d. 20. Jan. 1299. apud Lunig. T. IV. Cod. Ital. dipl. pag. 46. “Precamur - - quod ipsi vestri cum nostris curialiter, & amice se gerant, & quod tibis castellanis & peditibus nullum faciatis vel permittatis auferri de salmis victualibus & rebus eorum, per dagnum

“dagium vel gabellam, nostris precibus, gratia & amore.”  
 Gabella, prout cuilibet attentius consideranti facile patet, vox est Germanicæ originis, a *Gabe* descendens, quasi præstatiunculam dicas. Latioris itaque est significatio nis, eamque ob rem explicationis gratia, pedagio jungitur, ut eadem res duobus exprimeretur nominibus. Quodsi quis gabellæ propter illata oppidis esculentæ præstari tum solitæ, naturam eandem ac *accisa* nostræ, idest contrarium pedagio fuisse existimet, haud parum profecto is falleretur. Accisa enim multis postea ætatibus in Italia inventa, & si hariolari fas est, addimnuendam fortassis hominum multitudinem, qua tunc Italia abundabat, introducta fuit. Illis profecto temporibus, nulla omnino accisa pendebatur, sed esculentorum particula quædam, tanquam munusculum grati animi signum ædilibus, aut quibus ea res curæ erat, a vendentibus offerebatur. Quæ cum ita sint, facile appareat, eandem rem alibi pedagi, alibi gabellæ nomine venisse, ac Florentinos ideo nomen utrumque conjunxisse.

#### §. XXXIX.

Supereft, ut dispiciamus, quidnam Vafalli, ut sibi præstetur, flagitare potuerint? Denegat soldatam habentibus idem jus Feudista. Similes autem hi illis erant, hac quidem in te, ut militarent utrique; dissimilitudinis hæc erat ratio, quod soldatam habens, toto militiae tempore mescedem a conductore accipiebat. Vafalus a domino nullam, sed ex feudo se ipsum sustentare cogebatur. Hoc, in expeditione versanti, quoniam valde difficile imo plane impossibile esse poterat, concedi debebat omnino, ut necessaria vitæ adminicula ab aliis acciperet: necessa-

necessaria vero vasallo in expeditione versanti esse hospititia, cibos, equorum pabula, subinde etiam munuscula, nemo non videt. Eleganter itaque Feudista voce Pedagii usus est. Exprimit enim illa naturam juris Vasallo concessi, atque ad plura illud tendere, sive plures illi esse partes potentiales, simul innuit.

## §. XL.

Ad partes, quas modo diximus, refero: *jus albergarie, hospitii, fodri, exeniorum, & si quae his sunt similia.*

## §. XLI.

Nec nimia haec erant. Aequitate certe nitebantur. Erat sane, teste Diacono L. III. c. 16, erat inquam hoc mirabile in regno Longobardorum, nulla erat violencia, nullae struebantur infidiae, nemo aliquem *injuste angariabat, nemo spoliabat*, non erant furta, non latrocinia, unusquisque quo libebat sine timore pergebat. Miles in expeditionem non proficisebatur, nisi Regis iussu, ut summovearet hostes, solitos tunc rapina, incendiis, caede grassari. Justum itaque erat, ut militi vitam periculis objicienti, quo res Italorum, praedia, inquam, fundos, uxores, liberos, in tuto collocaret, præberetur ab his, quo sustentaret illam. Pacis enim tempore, quod dominia prædiorum Italis relicta fuerant, excepta frugum tertia parte, nihil accepisse Longobardos, supra retulimus. Quod tributi genus si cuiquam nimis grave forsitan videatur, respondebimus illi Scriptoris cuiusdam celeberrimi verbis. \*) Sic enim ille: "Vir quidam, inquit,

\*) Murat. Annal. Ital. P. III. ad a. 575.

“inquit, eruditione celebris, maxime miseram tunc Ita-  
“lorum fuisse conditionem existimat, coactos enim fuis-  
“se, ait, ut tertiam frugum parrem Longobardis depen-  
“derent. Quasi nulli nunc essent Italiae habitatores !  
“qui singulis tributorum generibus in unam summam  
“collectis, Principi suo tantundem ac olim Longobardi.  
“exigebant, imo longe plura dependere coguntur. Et  
“cum Longobardorum, barbarae nempe gentis, domi-  
“nationem, dominationi Romanorum nequaquam com-  
“parandam esse, ille judicet, me minisse profecto debuiss-  
“et, quot Romani agros Italiae populis civitatibusque  
“abstulerint, ut suas ibi colonias conderent, aut vetera-  
“nos suos præmio donarent. “ Summa præterea pro-  
“vinciarum fertilitas illis temporibus facile efficiebat, ut  
“res ad vitam necessariæ, propter maximam earum copi-  
“am, cuivis præberi possent.

## §. XLII.

Cum vero deficiente Carolingorum imperio, Italia  
internis dissidiis turbari cœpisset, ac Germanorum deinde  
Regum auctoritas gravissimis turbis impeteretur, ma-  
lumque in tantam vim excresceret, ut Dux Duci, Civitas  
Civitati bellum inferret, grave omnino ac intolerabile  
videbatur habitatoribus, ut militibus, non Regis, sed Du-  
cum aut Civitatum jussu, in expeditionem proficisci-  
bus, absque fine pedagia præstarent. Quo factum est, ut  
eorum haud pauci, regibus facti supplices, id impetra-  
rent, ne militibus nisi Regis jussu, vel ipso præsente, in ex-  
peditione versantibus, pedagia præstarent. Hujus rei  
exempla, ex multis pauca adducere visum fuit, quo appa-  
reat, primo, quidnam milites sibi præstari voluerint;

E

deinde

deinde quibusnam personis, ipso Feudistæ seculo, præstrandum erat.

§. XLIII.

Primum locum damus privilegio & confirmationi omnium bonorum & proprietatum communitatis & civitatis Comachi. d. d. 16. Kal. Jun. 1177. apud Lunig. T. IV. Cod. dipl. Ital. p. 11. 12. "Quia nostri cives "Comaclenses nostræ celsitudinis clementiam postula- "verunt, ut eos continua foveremus tuitione nostri "Mundiburgi solatio, itaque per hujus nostri Mundiburgi paginam confirmamus & roboramus omnes "eorum proprietates & jura. Jubemus itaque, ut nulla persona hominum, sive publica sive privata, sive "militaris vel curialis cujuscunque gradus vel condi- "tionis sit, tam dignitatis quam religiositatis liceat in- "troire, vel intromittere seu invadere vi vel clam de "supradictis rebus nostris - - tam de his quæ nunc ha- "betis, quam ex illis quæ antea habueritis, nisi nosfer "proprius nuntius semel per omne biennium ad legem "& iustitiam faciendam cum 12. hominum, aliter nul- "li liceat vobis exquirere, vel tollere ullum *tributum* "seu *fodrum*, vel aliquod teloneum, neque *commendatio-* "nem *babere*, neque *hospitium facere* &c."

§. XLIV.

His adjungimus diploma Frid. I. quo castrum Medicinae in provincia Bonnonensi situm, variis privilegiis donavit. d. d. 3. Id. Maji 1155. l. c. p. 9. "Noverit "regni fidelium solers industria, quod fideles regni no- "stri de Medicina in iustitia sua *ad servitium regni conser-* "vare volentes, regia auctoritate præcipimus, ut castrum "medi-

“medicinae reedificetur, & in usum seu utilitatem  
“suam amplificetur; ad solum itaque *regni servitium*.  
“Vacantes ab omni districtu, *feudo* <sup>1)</sup> *albergari*, censu,  
“nec non ab *omni exactione* immunes subfiant, nec ali-  
“qua regni civitas magna seu parva eos inquietare  
“præsumant. &c.”

## §. XLV.

Addimus diploma Caroli M. Fortunato Patriar-  
chæ Gradensi dadum d. d. Id. Aug. a. 803. l. c. p. 1511.  
“Jubemus ut in vicis, villis seu rebus vel reliquis posses-  
“sionibus, nullus judex publicus injuste ad causas au-  
“diendum, vel *seuda* <sup>2)</sup> *exigendum*, nec *manciones*, seu *para-*  
“*tas* facieendum, nec illas *redibitiones* injustas requiren-  
“dum se ingerere aut exactare præsumat.”

Quid hoc sibi velit, declarat, *privilegium Angeli Du-*  
*cis Venetiarum pro Joanne Abbe Ecclesiæ S. Hilarii* d.  
dt. m. Martio 814. l. c. p. 1515.

“Nullus de publicis nostris Gaſtaldis, vel aliqui de  
“nostro palatio missi uestros audeant inquietare, vel  
“moleſtare, aut in angariam mittere, aut *exenia* ab eis  
“aliqua exigere. Iterum ergo placuit interdicere no-  
“ſtræ Gradensis sedis Patriarchis ſive nostris Rivoalten-  
“ſis sedis Episcopis, ut nullum ex vobis invitis audeant  
“ad concilium trahere, nec ullam angariam, vel *prandia*  
“& *exenia* a vobis exquirere liceat aliqua &c.

## E 2

## §. LXVI.

<sup>1)</sup> <sup>2)</sup> En feudi vocem idem significantem ac tributum, aut si mavis tri-  
buti genus, fodrum. Quod profecto explicare nunquam poteris,  
nisi scias Longobardorum moribus feudum aliud non fuisse, nisi cer-  
tam fructuum partem, a prædiorum dominis militi præstata, mini-  
me vero dominum utile ipsius prædii.

## §. XLVI.

Tandem, ut appareat, quinam pedagium sibi præstari voluerint, sequentia subjicimus.

CONRADI II. instrumentum donationis Ecclesiæ Parmensi de toto comitatu Parmensi factæ d. d. prid. Kal. Jan. 1029. l. c. p. 1410.

“Nemo Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio,  
“Comes, Vicecomes vel cuiuslibet ordinis aut officii quis-  
“piam prænominatam ecclesiam de collato sibi a nobis  
“beneficio, videlicet *prædictum Comitatum* tam intra ur-  
“bem, quam extra, ut diximus, inquietare molestare,  
“aut *herbergarias*, aut alias inde- -\*) exigere præsumat.”

## §. XLVII

Diploma OTTONIS IV. ecclesiæ Ravennatenſi datum  
d. d. 4. Kal. Nov. 1209. l. c. p. 21.

“Nihil omnino præſtare compellantur, non per ali-  
“quam a nobis missam vel mittendam alicui jurisdictio-  
“ni personam præpositam vel præponendam majorem  
“minoremve, non per Marchionem vel Ducem, non per  
“Comitem, Capitaneum vel Valvavorem, non per Civitates  
“aut Consules civitatum, non per Rusticos vel aliquem  
“Comitatum vel singularitatum, sed nec aliquam collectam  
“vel exactionem, quoconque nomine censeatur, vel  
“hospitationes per aliquem vel preditorum inviti præſtare  
“cogantur. - - - Salvo jure imperii in omnibus his quæ  
“nunc possidet, & de jure debet habere.

## §. XLVIII.

Privilegium Frid. I. ecclesiæ S. Georgii, quæ in  
Urbe Venet. sita est, 1177. concessum l. c. p. 1549.

“Impe-

---

\*) Deesse quædam apparet.

“Imperialis nostræ auctoritatis editio statuimus, ut  
“nullus Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio,  
“Comes, Vicecomes, Advocatus, Vicedominus, Gauſaldus, Villi-  
“cus, Decanus, & nulla prorsus magna seu parva, ecclæ-  
“ſiaſtica aut secularis persona, per Albergaria vel thelo-  
“nii vel fodri occasionem, nec per alicujus eventus, nec  
“per aliquod exactionis alteriusve gravaminis ingenium,  
“prænominatum monasterium inquietare seu moleſta-  
“re, aut diſvertire præſumat &c.

§. XLIX.

Et hæc quidem ſunt, quæ his de rebus in medium  
nunc producenda duximus. Quorum aliqua, ſi Tibi  
Lector benevolè fortasse minus probantur, Tuum erit,  
aut meliora nos minime invitos docere, aut occasionem  
præbere, ut quæ obscuriora apparent, majori lu-  
ci reddantur.



## THESES EX OMNI IVRE.

### EX IVRE NATVRAE.

#### I.

- J*us Naturæ vel gentium est lex Dei æterna, homini per rectam rationem intimata, indicans, quid faciendum omissendumve.  
II. Causa belli justificativa non est ratio cogendi Barbaros ad fidem Christianam aut meliores mores.  
III. Nec potentia vicina crescens ad conservandum aequilibrium.  
IV. Pax tum, quo quis juri in regnum succedendi renuntiat, nocet successoribus.  
V. Ut hostem a tergo prementem evitemus, non licet in territorio neutro vi occupare castrum.

### EX IVRE CANONICO.

- I. In dubio Concordata Nationis Germanicae interpretamur in favorem Ordinariorum.  
II. Capitulationes, quæ prescribuntur electis in Episcopum a Capitalis Germaniae iusta nituntur ratione.  
III. Principibus secularibus in subditos suos non competit jurisdictio ecclesiastica.  
IV. Testamentum in foro soli nullum, etiam nullum est in foro poli.  
V. Episcopus ad consequendas decimas potest A. C. addicatos excommunicare, cuius effectum interrogatus ostendam.

### EX IVRE PVBLICO.

- I. In dubio, an in loco quodam publicum Religionis exercitium in anno normali viguerit, probatio incumbit A. C. addicatis.  
II. Capitulares reservato ecclesiastico renuntiare, si consentire negant, ut corum Antistes ad sacra A. C. transiens, prælatum retineat.

#### III.

- III. In Electione Imperatoris sufficiunt vota majora respectiva.*
- IV. Imperator in electionibus Pralatorum Germ. jure, dandi exclusivam, non gaudet, ut in electione S. Pontificis.*
- V. Jus eligendi Imperatorem inheret territorio; inde non videndum, qua ratione excludantur, sede vacante vel impedita, Capitulorum legati in electionibus Imperat.*

## EX IVRE CIVILI ET PRIVATO.

- I. Error communis non facit jus.*
- II. Usufructarius, consentiente domino, fundo usufructuario servitutem imponere potest.*
- III. Invalidum actum non revalidat juramentum.*
- IV. Compensatio locum habet, non obstante juramento, quod velim solvere.*
- V. Religiosus post emissam professionem, successionis incapax, transiens, ad A. C. religionem, non potest hereditatem ab intestato alias sibi obventuram pretendere.*

## EX IVRE POLITICO.

- I. Conjunctione potestatis ecclesiastica et secularis in S. R. I. Principibus Ecclesiasticis resurgens, Ecclesia et Imperio vere est utilis.*
- II. Suprema in Academias inspectio Principibus secularibus non potest negari.*
- III. Injurius in Principem secularem, qui ei omne jus circa bona ecclesiastica afferat.*
- IV. In locis mixtae religionis, non ferendi sermones, quos plebs miscet de religione et fidei articulis in publicis conventibus et popinis.*
- V. Non omnia, que Principi utilitatem afferre possunt, more pseundo politicorum accensenda sunt regalibus, sed justi iisdem statuendi limites,*

EX

## EX IVRE FEVDALI ET CRIMINALI.

- I. In feuda Imperii majora succedere volens, natus sit ex matrimonio ægnali.
- II. Etiam adulterinus legitimatus per subsequens matrimonium succedit in feudum, ut fratres legitimos etiam ante suam legitimationem natos excludat.
- III. Principibus competit jus aggreditandi in omnibus delictis.
- IV. Per promiscuas panas infamia, relegationis & fustigationis non obrinetur finis paenarum.
- V. Contra absentem non potest ferri sententia in delictis paenam corporis afflictivam inferentibus.



**S**ignore!

quando le palme immortali  
Di tuo certame premio merito  
Le dotte tempie trionfatori  
Con un verde perenne cingono  
Una speranza mi dice al cuore  
Che la tua gentilezza al un amico fedele  
In poche parole i ardenti voti  
Di suo ossequio sinceri pugni  
Esprimer permettrà, e di pregarti  
Di non scordar il questo servidore  
Che resta all'ombra da tutto 'l cuore

Umiliissimo

**F. DE BENTZEL.**

**Q**uid tentas? cathedram scandis, libri que secundi,  
Ad titulum decimum feudorum scripta tueris.  
Sic est: nec miror, namque est tibi nobile doctis  
Nomen Cognatis, quorum praelatura virorum  
Facta sequi & raras dotes aquare laboras.  
Hoc pater, hoc mater laudat, fraterque sororque,  
Erbacum & florens in Rees Ecclesia plaudit,  
Plaudit Valvasor, plaudit Capitaneus omnis.

F

Gra-

Gratulor inde tibi, è toto quoque pectore plundo  
Et precor, ut fidus semper mihi Theseus extes.

Ita vovet, ita precatur

J. THEOD. BVDDEN  
Hildesiensis J. U. C.

Si verbum est verax: dat Justinianus honores  
Exin Te certò gloria rara manet.  
Nam Tua Te virtus, & rara scientia Juris  
Reddere jura docet Cæsar is atque Dei.  
Ait nunc ad proprias remeans feliciter oras,  
Cultorem æternum me, rogo; credere tui.

Plurimum Reverendo, Prænibili, ac Doctissimo Domino  
Defendenti ad summos in utroque Jure Honores

SIC sInCerè AnſelMVs gorDon  
O. S. B. Servus devinctissimus applaudit.

Votre vertu, votre science, votre conversation agreeable  
M'afflurent toujours de votre amitié inalterable.

P. B. G.

Farewell dear Sir, you leave behind  
Your Servant, and your trusty friend

F. E. G.

Ante.

**A**ntiquam feudi docto conamine formam,  
Et Longobardis jura Sacrata doces.  
**T**e Valvasoris vox enucleata vetustæ  
Historiæ clarum cognitione probat.  
**T**e veluti fido gaudet Themis alma vasallo,  
Et tibi divitias tradidit ipsa suas.  
Fulgebisque tuos inter Capitaneus olim  
Insignis Sacræ gloria militiæ.  
Comprobat augurium virtus, quâ splendida lucet  
Doctrina, ut claro Cynthia Sole micat.  
Has Laudes, meritosque tibi dum grator honores  
Omnia de toto pectori fausta precor  
Corpora nostra locus sejunget, pectora nunquam,  
Rumpet amicitiæ vincula nulla dies.

ita precatur

**P. HIERONYMVS KAYSER**  
Profess. Erbacensis Opponens.

**E**t Tu bella movens telum Patriota minaris!  
An nescis, mundo belli satis esse periculum?  
Non hostem certè, sed Te profiteris amicum,  
Dùm mihi, non subito credas, Vicinia dixit:  
Justa sed arma tui belli, conscede theatrum,  
Et non Relligio, regio non ingemet ulla;  
Ostendas, quod Sola tui doctrina meretur  
Inscribi Doctis: erit urbs Erfordia testis.

aMICO sVo DILECto

ita applaudit, & se commendat

Serbus obsequiosissimus

**J. G. I. KÜSTNER J. C.**

\* \* \*

THE HEROIC YMAS KAZZER

卷之三




**ULB Halle**  
005 355 710

3





B.I.G.



1757.1

32  
5.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

AD

TIT. X. LIBRI II.  
F E V D O R V M

QVAM

ANNVENTE ICTORVM ORDINE ILLVSTRI

IN ALMA VNIVERSITATE ERFORDIENSI  
VNA CVM SELECTIS EX OMNI IVRE THESIBVS

DEO ASPIRANTE, ET PRAESIDE

AD CAPESENDOS SVMROS IN VTROQVE  
IVRE HONORES

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVMMITIT.

IACOBVS ENGELBERTVS  
BIRCKENSTOCK

RHINGAVO - ERBACENSIS

INSIGN. ECCLES. COLLEGIATAE B. M. V. IN REES  
CANONICVS

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI HORIS CONSVETIS  
DIE XXV. APRILIS MDCCLVII.

ERFORDIAE,  
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

